

habebant, applicatur. Neque enim usquam memoriae  
 proditum est, ad prouincias illud esse prolatum. Quare ni-  
 hil agunt, qui Pilatum, quem furore Iudeorum compulsum,  
 post latam sententiam, non exspectato decem dierum spatio,  
 Christum statim supplicio crucis adfecisse, e commentariis  
 sacris constat, in eo contra senatus consultum Tiberianum  
 fecisse opinantur, cum, ut docet Bynkershoekius *Lib. II.*  
*Obseru. Iur. Rom. c. 21.* fuerit ille in Iudea procurator Caesa-  
 ris, praesidis potestate, quae ius vitae ac necis tribuebat,  
 instructus. Sed cum iam alii Pilatum a criminatione ne-  
 glecti senatus consulti Tiberiani satis liberauerint, rationi-  
 busque idoneis defenderint, actum non agam. De toto illo  
 iudicio, quo Christus ad crucem damnatus est, ex instituto  
 egit Christ. Thomasius *Diss. de iniusto Pontii Pilati iudicio,*  
 contra Io. Stelleri *Pilatum defensum* scripta, *Dissertatt. Acad.*  
*Vol. I.* Caeterum hoc senatus consultum non modo postea  
 valuisse, sed ad principum quoque sententias, ultimum  
 supplicium dictantes, traductum fuisse, Iac. Gothofredus  
 ad *L. 13.* C. Theod. *de poen. animaduertit*, adductus loco  
 Senecae *de Tranquill. animi c. XIV.* ubi egregium magni  
 fortisque animi Canii Iulii, quem Caligula duci iusserat,  
 narrat exemplum. *Credisne, inquit, illum decem medios us-*  
*que ad supplicium dies sine ulla sollicitudine exegisse?* Verisi-  
 mile non est, quae vir ille dixerit, quae fecerit, quam in tran-  
 quillo fuerit.